

ant, sed ita quoque omnem vitam instituunt, ut sui exemplo ciues ad honesti rationem inuident. Quod si unquam alias, certe hisce temporibus reipub. non solum ex usu, sed necessarium quoque fuerit, cum hic sit rerum communium status, ut seposita uniuersi honesti ratione, omnes omnia turpi lucello ac priuato emolumento potius, quam honestate usque publico metiatur. Ideoque ex magno numero vix pauci reperiuntur, qui vel ad gubernandam rempublicam vel ad docendam religionem sine communi salutis periculo adhiberi possint. In horum neutro sine graui reipub. malo peccatur, ambobus vero labefactatis, non est cur vir bonus hac luce diutius perfrui cupiat, cum nec corpus ab improborum iniuriis defensum, nec fortunam esse in tuto possint, nec mens ipsa habeat unde solatii aliquid in rebus afflictis capiat. Quare vir optime communi reipub. nomine tibi gratias ago, quod & singulari in rem pub. animo afficeris, & tui exemplo multos ad literarum studia cohortaris. Ac proinde cum & tibi literario aliquo munusculo gratificari & reipublicae vtilem aliquam nauare operam animum induxi, hoc turbulento rerum statu nihil sese offert commodius, nec oportunius, quam hic A. Dureri, de muniendi rationibus libellus, adeo exacte atque diligenter conscriptus, ut huic viro, sicuti in arte pingendi optimo iure primas, ita in edificandi scientia facile secundas citra inuidiam detuleris. Quanquam in hac architecturae parte veteribus ipsis vel aequandus vel praefendus quoque non iniuria censebitur, si quidem de eius eruditione ac studio candidè iudicabimus. Singulari namque arte ac industria, & munitissimas arces condendi, & ciuitates solide communiendi rationem ita complexus est, ut omnem praecipendi modum sedulo ubique, & oportunè ad praesentem bellorum rationem, propugnandique usum accommodauerit. Existimauit enim vir reipublicae amans, post multa ac praecleara à se edita opera, hoc postremum se communi hominum saluti debere, ut rationem describeret, qua respub. & bonorum ciuium fortunas, dignitates, atque salutem communiret, & paucis milite certaque victoria, nefaria perditorum atrocinitia, vimque tyrannorum iniustam propulsaret. Quamobrem non dubitauimus, hunc librum ex Germanico in latinum sermonem traducendum curare, figurisque authoris mentem aptissimis exprimendam, ne committeremus artificum industriam, praecipitum obscuritate in opere utilissimo laborare. Hunc nostrum laborem praeter te nemini, nec iustius, nec libentius nuncupauerimus, quod intelligimus, & pacis officiis conseruandis te vnicè deditum esse, & de bonorum studiis benignè candidèque iudicare. Quare vir amplissime, hoc studium nostrum clemèter suscipe, facque potestatem, eius tuo auspicio publicandi, ut respub. quaecumque hoc munusculum non tam nobis, quam tibi, cui alia & plurima & maxima debet, acceptum referat.

**Vale. Parisiis Ex scuto Basiliensi officina nostra.**